

*temidorus, Apollonius Myndius, Seneca, Cardanus, Tycho Braheus, Longomontanus, Galileus, Renatus des Cartes, & Celeberrimus noster Philippus Müllerus foverunt. TERTIA fuit Michaëlis Mæstlini, Johannis Prætorii, Johannis Camilli Gloriosi, Bullialdi, Christophori Clavii, &c. Quò pertinent etiam illi, qui dicunt, Cometas à DEO vel per se, vel per intelligentias ad libitum ex quâlibet materiâ fieri, Damascenus L. II. Fid. Orthod. c. 7. Roder. Arriaga, Franciscus de Oviedo, ipse Keplerus, aliiqve, quos Ricciolus a) longo ordine adducit.*

a) *Almagesti novi Parte posteriore Tom. I. Libr. VIII. Sect. I. c. IV. §. XIV. c. VI. toto. & c. XXIII. Vide etiam Tych. Braheum, Tom. I. Progymnasim. Astronom. Instauratæ c. X. à. p. 704.*

§. IV. *Circa primam opinionem observandum est, esse paucos Peripateticos, & pauciores Astrologos, qui Cometas in Supremâ regione aëris collocant. Reliquos autem, præsertim Astronomos, illos supra regionem supremam aëris, seu supra vapores & halitus collocare: quod non reculant Scaliger, & Claramontius. Carolus autem Piso crinitos Cometas in supremâ regione aëris, caudatos verò in concavo Lunaris cæli collocat.*

§. V. *In secundâ sententiâ advertendum, quosdam auctores tribuere Cometis originem sublunarem ex materiâ elementari; sed arbitrari postea eos evehi ac versari supra Lunam, quam sententiam Galileum apprehendisse constat.*

§. VI. *Ita variant Auctorum sententiæ circa hanc doctrinam.*

§. VII. *Nos secundæ sententiæ calculum nostrum addimus, quæ asserit, Cometas in altissimo æthere sedem habere.*

§. VIII. *Svadent id septem rationes. (Nam calculo demonstrata & prolixè probata hæc qui cupit, is Libr. II. III. & IV. Cometographiæ Hevelianæ evolvat, qui ferias omnibus hîc fecit. Nos disputationem damus, quæ vel maximè brevitate se commendat.)*

§. IX. *Prima est: Ubi Cometa cum fixâ quâdam, cui tum imminet, simul oriri & occidere, tum distantiam inter se & fixam interjacentem, debite conservare potest, nec subito & continuo, in momentum cogitur vel augendo, vel diminuendo eam variare, ibi est locus ejus.*

*Atqui in solo æthere Cometa cum fixâ quâdam, cui &c. E. Major & Minor facillimè probantur.*

§. X. *Secunda: ubi Cometa necessariò, brevissimo temporis spatio*